



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

Puente, Luis de la

Pragæ, 1672

Caput 18. De Resurrectione Christi Domini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38580

pulchrum cum prægrandi lapide sepulchrali, aliquantum elevato à terra, versis anteriorem Capellæ partem. Contuli me eò, & adoravi sanctum illum locum, utpote sepulchrum, quod ego valde opraveram videre, ubi fuerat repositum corpus meum Domini, milliesque illud modò ad unam

ejus partem, modò ad alteram me collo- cando, amanter consalutavi. Post hoc fui ducta per quasdam civitates, & ego ferventissime commendabam DEO necessitates illorum populorum, ut Divina Majestas illos converteret, atque ità cessavit visio, & inveni me in lecto.

CAPUT XVIII.

De Resurrectione Christi Domini.



Vando advenit dies Paschatis, summo manè vidi Christum Dominum resuscitatum, gerentem stigmata suorum sacratissimorum vulnerum in manibus, & corpore impassibili, atque glorioso, coram sacratissima Virgine Domina. Nostra, & ex speciali ipsius illustratione interna, vidi illum distribuentem quàm amantissimè ac benignissimè omnibus suis creaturis, volentibus illa acceptare, & ijs rectè uti, bona & merita, quæ suà sacrâ morte ac Passione pro nobis obtinuit, quæ admodum Pater, qui suis filiis, quos enixe amat, distribuit panem, quem suo sudore, & labore illis est lucratus; atque ego indigna etiam accipiebam meam partem cum magno solatio ac desiderio obtinendi ea bona, quæ iste Dominus ac Pater noster, tam libenter, & cum tanto amore nobis communicabat, sensiq; deinceps tantam famem ac sitim illorum consequendorum, ut nescirem quâ ratione sedarem hanc sitim, nisi accedendo ad Divinam Majestatem, & sumendo ipsum in sanctissimo Sacramento, sicut feci toto Paschate.

§. I.

Alias conspexi Christum Dominum, qui cum magna Majestate stabat brachio dextro exporrecto in altum instar benedicens, & altero amplexabatur crucem, ornatam vexillo, quòd in illa sacra cruce viciisset mortem, diabolum, & peccatum. Erat Divina Majestas propè nuda, eum in

modum, quo solet pingi in sua Resurrectione, & ad latus suum habebat sellam, supra quam jacebat vestis, quæ erat instar pluvialis, & videbatur mihi esse confecta quasi ex pretioso purpureo holoserico, habebatq; ornamentum circumquaque elegantius, quàm cogitari possit, ex gemmis diversorum colorum, erant enim aliæ candidæ, aliæ rubræ, aliæ virides, quæ recreabant animam, ac ad se attrahebant. Desigebam in illa veste oculos, tantumque non magis quàm in Christo Domino, atq; imaginabar mihi, essetne eadè, quâ ipsum ter quaterve videram indutum in Festis sanctissimi Sacramenti, de qua mihi dixerat, quòd significaverit gloriam & puritatem suæ sacratissimæ Humanitatis; quamvis aliunde mihi fuerit visa esse diversa, & dicebam intrà me: Quid potest significare ista vestis exuta & separata à suo sanctissimo corpore Christi Domini, cum ipse, quod semel amore nostri, & pro nostra salute assumpsit, nunquam dimiserit? Hæc mihi cogitanti aperuit Divina Majestas, qualis esset, dicendo mihi: Ista vestis, quâ vides separatam à meo corpore, id quod tibi accidit adeò captu difficile, quia dicis me, quod semel assumpsit & indui amore hominum, nunquam amplius dimisisse, quod est verum, non est illa quam esse cogitas, sed est vestis meæ mortalitatis & meorum dolorum, ac laborum, & ignominiarum, atque crucis, quâ erat induta mea Humanitas, ut illis satisfacerem meo Æterno Patri pro offensis hominum, ipsosq; adjuvarem, & eruerem ex potestate diaboli, quod per meam mortem est completum,

Ee

itâ

ita ut omnia sint reparata: meo quoque Aeterno Patri est satisfactum, & homines liberati sunt à diabolo, ac peccato. Quapropter die meæ Resurrectionis exui istam vestem meam mortalitatis, & dolorum ac laborum, quam hic vides tam pretiosam, & adeo exornatam omnibus meis meritis, quæ meis doloribus & cruce obtinui, & lucratus sum pro me, proque omnibus hominibus, qui illis voluerint bene uti. Hoc audito fui repleta magno solatio, & recreata illo meo mentis excessu.

S. II.

Alio die Resurrectionis, sub horam tertiam matutinam, agens cum Domino, me inveni quasi ante sacratissimum ipsius sepulchrum, in tanta solitudine & silentio omnium creaturarum, atque in loco tam Divino & cœlesti, ut ibi videretur adesse ipsemet DEUS. Statim aspexi, & vidi supra illud sacrum sepulchrum apparente Divinum quendam, pulcherrimum, lucidum, ac resplendentem Solem, qui habebat colorem quasi vivacissimi rubini, & pretiosissimi, videbaturque summè exornari quadam mixtura purissimi ac defecatissimi sanguinis. Ille Divinus Sol, se cum suis radijs, qui erant ex cœlesti purissimo auro, & splendidissimi, illuminando totum illum locum, incepit movere instar Divinæ & cœlestis Avis, concutientis alas, & vibrabat scintillas ignis, ac lucis divinæ, & splendoris. Hic ipse motus duravit modicum, & subito se divinâ virtute elevavit, erexitque ingens lapis, qui incumbebat sepulchro Domini, ac tum Divinus ille Sol ingressus est in eum beatum locum, feriensque cuspidibus suorum resplendentium radiorum pectus cadaveris, incepit illud vivificare; quia sanctissima ea anima Domini intravit Divinâ suâ virtute in sacratissimum suum corpus, occupatumque in momento resuscitavit gloriosum & resplendens, ac impassibile. Et postquam Dominus Majestatis hoc modo constitisset supra lapidem sepulchralem, ostendens infinitudinem suæ virtutis, potentiae, & fortitudinis, fuit circumdatus ab omnibus illis

sanctis animabus, quas magna ipsius Majestas eduxerat ex limbo (id quod mea anima etiam viderat præterlapso die Sabbati, quando ipsi fuit manifestata confusio, ac timor diabolorum, intrante Domino in illam regionem tenebrarum, nec non gaudium & solatium illarum sanctarum animarum, in adventu Domini sui ac Redemptoris, quem tot expectaverant annis. Erant præterea ibi sublimes in aere Angeli, qui ipsum laudabant, benedicebant, adorabant, tanquam suum DEUM, & Dominum.

Manfit aliquo tempore supra illum lapidem, & ego videns tam gloriosum, quem præterito die Veneris videram ita in aere habitum, ac tantopere desieveram, volui me prosternere ad sacros ipsius pedes, etiamque jam proximè accessissem, dixit mihi Dominus: Siste, Marina, nolime modo tangere, postea me adhuc videbis; aspice tantisper, ac attentè considera; & cognosce has meas plagas, & vulnera meorum pedum, & manuum, ac lateris, quæ pro te, & pro omnibus sum passus; aspice illa bene, & videbis eorum virtutem. Tunc mea anima rapta est in ecstasim, contemplan-do illas sacras aperturas, pulchriores & splendidiore universis lapidibus pretiosis, omnibusque divitijs creatis; quando autem ad me redij ex illo raptu, inveni me in meo angulo. Post sesquihoram iterum ipsum vidi resuscitatum eo modo, quo illum antè videram, dixitque mihi: Quid hic agis, Soror? quomodo nunc es constituta, dum me vides jam resuscitatum & gloriosum? cessaveruntne jam tuæ lachrymæ? æquum enim est, ut qui plorat, capiat solatium. Cum ita contemplerer Dominum Majestatis, & audirem Divina ipsius alloquia, fui repleta magno solatio, & gaudio, atque adeo absorpta, ut non potuerim ullum verbum respondere. Tunc mihi dixit Divina Majestas: Pax tecum, Marina, ab eo enim ad visitandam meam sanctissimam Matrem; significans mihi, quod jam alibi ipsam invisisset, & hoc dicto discessit, ego autem affluebam solatio, quamvis non absque cruciati dolorum, quos

patiebar.

S. III.

§. III.

Sequenti Dominicâ *Quasi modo*: ipsum conspexit similiter gloriosum, atque unâ sanctos Patres, quos Dominus eduxerat ex Limbo, qui comitabantur ejus Majestatem, cum multis Angelis ei inservientibus, ipsumque adorantibus, quemadmodum etiam illum videram in mysterio gloriosæ Resurrectionis. Nunquam potuit mea anima intelligere, qualis fuerit ille locus, in quo erat Dominus Majestatis: cum enim ipsa non habeat, neque in hujusmodi occasionibus mysticis sciat plus, quam ipsi dicatur vel concedatur, eo est contenta, siquidem non habet jus ad amplius aliquid exigendum. Tantum vidit, illum locum fuisse honoratissimum, & convenientem Divinæ Majestati, ubi etiam erat quædam Persona spectabilis, quam eate nus non viderat, quæ se celerrimè provol-

vit in genua coram Christo Domino, & manibus junctis cum singulari affectu dixit ad Dominum: DEUS meus, & Dominus meus. Tum illi Dominus respondit cum magna majestate: O Thoma, quia me vidisti, credidisti; beati, qui me non viderunt, & credent. Quod ultimum verbum dicens Dominus, aspexit me oculis indicantibus immensam charitatem; unde concepì magnum affectum amoris ac reverentiæ; & fui abrepta, ut non viderim sanctum Thomam tangentem vulnera Domini, quia, sicut dixi, non plus video, quam quod doceor, in his mysterijs.

Aliâ hebdomadâ Paschatis, cum vehementer essem afflicta, vidi meos sanctos quatuor Angelos, qui assumebant diversa musica instrumenta ad me recreandam; cantabant autem celebrantes triumphum Dominicæ Resurrectionis.

CAPUT XIX.

De Ascensione Domini, & extraordinarijs gratijs, quas illi hoc Festo præstitit.

§. I.

Rostquam advenisset Festum Ascensionis, fui in spiritu ducta ad quendam campum, seu montem, ubi vidi Christum Dominum indutum splendidissimâ & pretiosissimâ veste, quæ tota erat distincta gemmis. Ostendebat se vehementer lætari eo die, quod esset ascensus ad Patrem, & sedens ad ipsius dextram, recepturus præmium suorum laborum. Hoc ego animadvertens eram partim plena solatio & gaudio, quod viderem meum Dominum tantopere honoratum adeo pretiosâ veste, quæ significabat sacratissima ipsius merita, & abeuntem ad suscipiendum præmium, honorem ac dominium omnium creaturarum, tam justè ipsi propter illa debitum; partim verò aliquomodo tristabar, ac dolebam, quod abiret ac migraret, ut non

potuerim id dissimulare, neque cohibere uberes lachrymas, dicendo ipsi: Denique Dilecte mi, ac Domine, vis abire, & nos derelinquere? Divina verò Majestas me solabatur, ac dicebat: Ecce ego abeo, aperturus viam ad cælum, ut possitis in illud ingredi, referenturque vobis portæ, quæ tot annis sunt clausæ, quin ullus hominum potuerit eò introire. Nunquid etiam ignoras, quod licet abeam ad meum Patrem, maneam tamen unâ hic vobiscum in terra? Tace ergo, & cape inde solatium. Audiens mihi hæc dici à Domino, affuebam magno solatio; & quasi jam acquiescens, dixi illi: Mi Domine, & Dilecte mi, antequam abeas, vultne Tua Majestas mihi eam præstare gratiam, ut me permittat osculari suam pretiosam vestem Divinorum suorum meritorum? Divina Majestas mihi respondit quàm amantissime: Omnino, osculare illam, licet; tua enim est, cum tu quoque sis illius particeps, eò quod

Ec 2

ista